

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO DOMINO  
**D. JOSEPHO NICOLAI**  
 ARCHIEPISCOPO COMSANO &c.



*I* forsan opus aliquod hominum ingenio laboratum inveniatur, cui ad viri omnium virtutum genere præstantis auspicia, tanquam ad Asylum, ut tute sustineatur, confugere opus sit; hoc certe hic liber, quem ego sum editurus, fore videtur. Cum enim super Busemb. Adnotationes contineat, vili apud nonnullos haberi opinor, qui, ut est natura hominum, novitatum cupidi, si quæ admodum græfice sint a multis antea pertractata sapientibus, fastidiunt eãdem, si a quovis repetentur. Qua de re non benigne acceptum iri mihi animus suggerit, nisi sub alicujus tutamine, qui ne dum suis splendoribus, quod deficit ei lumen reddat, sed etiam ab aliorum vindicet injuriis, manitus circumferatur. Ad cujus igitur spe non fallaci innixus confugiam, nisi ad tuum, Illustriss. Præsul, patrociniũ? Tu enim tuis ornamentis, præcipuo quodam natura favore, & studii electione effecisti, ut iis, qui supersunt, splendoribus obscura quæque possis illustrare. Eo enim præclara tuorum Procerum, & gesta tua Te perduxerunt, ut ad ea, quæ natura, & virtus conjurata Tibi ministrarunt, nescirem quid laudis posset optari; Sive genus perquiritur iuum, sive Tu ipse in medium protraharis, tanto spectaberis honorum genere afflui, ut merito quisque ad te, tanquam ad fontem concurrens, perenniter quid hauriat, invenisse gratuletur. Quis enim sive in literis versatus per annalium vetustatem, sive popularis, & ex suffragatoribus, per vulgato presentium fortunarum sermone, est, qui nesciat tuæ familiæ perillustris amplitudinem? Ea nimirum est Nicolai familia, fama cujus jam abhinc quingentis, & amplius annis reddita est nobis celeberrima, quo tempore a Delphinatu (ubi ditione civili Arfewilla dominabatur Nicolaus Nicolai (a) a Secretis, & Geographus insignis Regis Gallia) Messinam, & inde Butuntum transvecta est, & diu inter Butuntinos nobiles tantis opibus valuit, quibus Carolum I. Angiõ (b) pecuniis mutuo locatis devinctum sibi reddere potuit. Tunc quoque temporis inter Molfetta Primates Feudorum Dominus fuisse (c) Franciscus Nicolai memoratur. At posterioribus sæculis non fortunã decidisse, imo instar fluminis incrementum ex itinere consecutos ad hæc nostra usque tempora eos, a quibus originem tuam non interruptam numeramus, inclytos legimus omnes vixisse. Hujusmodi dignoscuntur Joannes Pater, (d) Joannes-Andreas Filius Equites; & Joannes ille, (e) qui ob singularem jurisprudentia laudem S. R. C. primariam gessit Praturam. Et ne quid splendoris ex omni parte desideraretur, Franciscus Joannis-Andreas nepos, (f) & Octavius bellica virtute, si quid deerat, compararunt: Ambo Philippi II. arma secuti; hic (g) miles voluntarius, strenue cum esset certatus ad Proarchithalasti lauream pervenit; Il-

(a) Nicolaus Toppi De origine Trib. (b) Blasius Altom.de Fam.Petrarolo Molfetta pag.34. (c) Franc.Lombardini in Historia Molfetta pag.34. (d) Dux Guardia in Fum. Vilconte Tremblai. (e) Not.Ant.de Julianis Biterti sub die 9. Nov. 1502. (f) Not. Ant. Ferri Biterti sub die 3. Septem. 1529. (g) Procef. Benef. Nicolai dell' Olio in Archiv.

*le (h) ex primoribus militia titulis fulgens insignibus ad Stationes Apulee littorum  
 fuit destinatus. Emicuit fortunatus ille Petrus-Paulus Soc. Jes. Propatruus tuus, (i)  
 qui, presentato sibi Teatea summo pestis discrimine, agrotantium subsidio oblatus,  
 victima factus caritatis se ipse Deo litavit, saepe hac repetens: Dignum sane est  
 poenis ad Coelum pervenire. Hisce accedunt Ecclesiastica Dignitates, (l) ob quas  
 duo Patru tui D. Cataldus, & alter D. Franciscus-Paulus celebres posteritati facti  
 sunt; quorum alter in Cardinalis Casoni Aula munere fungebatur Auditoris, & omnes  
 cause civiles de Ferraria legatione sibi vices Eminentissimi in hoc gerenti decidenda  
 referebantur; Posterior, postquam in Romanis Academiis singulari eruditione, & omni-  
 gena doctrina admirabilis evasit, ad insignes Ecclesiae gradus (ubique tamen re-  
 bus gestis, Pastoralis vigilantia, scriptisque se dignis monumenta sui reliquit) ni-  
 mirum ad Canusii Praeposituram, hinc ad Caputequen. Episcopatum; & tandem ad  
 Comsa Metropolim transcendit. Nec silentio prateream propius consanguinitate tibi  
 conjunctos D. Carolum amplissimum Patrem tuum, Canneli Marchionem, qui pru-  
 dentia, doctrina, & titulis aternitati nomen commendavit; & D. Dominicum  
 ornatissimum Fratrem, presentem Canneli Marchionem, qui nihil a Majoribus dege-  
 nerans, sed omnia honoris, ac pietatis ornamenta in se uno colligens, conatus  
 est, ut quanto honore ipse ex illorum dignitate afficeretur, non minora reddere ex  
 sua laude, qua efficit, ut connubii vinculo D. Anna-M. Federici ex Nobilissimo-  
 rum stirpe Senatoria, ac Patricia Genuensi, femina spectatissima se conjungendo,  
 hujus Familiae gloriam & decora incremento sua mancipasset. Et quamvis tui in  
 tuam vixerint gloriam, & suis exemplis viam Tibi ad virtutem paraverint, tamen  
 nisi animus Te fecisset nobilem, aliena non tua laudarentur; Dignitas enim originis,  
 (attestante S. Hilar.) in operum consistit exemplis, & profapiae gloria fidei imi-  
 tatione retinetur. Neque tamen is es, qui natalium indiges suffragio, ut ad laudes  
 proveharis. Neminem, qui Te noverit, morum integritas, irreprehensibilis  
 actionum prudentia, liberalitas indicibilis, zelus ardens possunt fugere, imo  
 hac omnia omnibus comperta, & explorata jam sunt. Nam, si cunctam tuam ab  
 adolescentia retroacta vitam seriem repetamus, nullam possumus invenire partem,  
 que in ecclesiasticis stipendiis, laboribusque assiduis non sit exercita. Siquidem etiam-  
 dum Ephebus Romam petisti, bonam scientiarum palestram inter florentissimos totius  
 orbis Adolescentes adocendus, & cum in celebri Sapientiae Academia operam navares,  
 omnia ad orthodoxa Religionis praescriptum ita exegisti, ut totus literis politioribus,  
 Theologicis doctrinis, sacris Cononibus, ceterisque eruditioribus scientiis intentus, mens  
 nunquam a cordis custodia abalienata, unice metuens, & perhorrescens criminis labem  
 vitae integritatem custodivit. Inde Patriam Te recepto, singulare illud fuit, cum in illa  
 Civitatis Petilia insigni collegiata, ubi adhuc adolevens, licet invitus, Primice-  
 riatu honore fulgebas decoratus, luctuosi circa res Ecclesiae exciti fuissent tumultus,  
 inter tot tantosque Sacerdotes, Tibi quamquam aetate inferior, virtute tamen & ani-  
 mi magnitudine maximus, de medio surrexisti, putans tua referre & ope, & ze-  
 lo pro Ecclesiae tuenda immunitate, serpentis prudentiam imitando, Te totum perdi-  
 torum*

Epif. Bitet. (h) Not. Ant. de Leonibus Bitet. in an. 1607. (i) Menclog. P. Patrign. sub die 11. Octob. ex Alegambe.  
 (l) D. Joseph. Volpi in Cronolog. Epif. Caputaq. n. 48.

orum odiis tradere, modo Dei, & Ecclesiae jura facta atque servare. Hinc Evangelicam Mnam gloriosius Te negotiatum fel. rec. Clemens XII. hisce, & multis aliis permotus meritis, ut vidit, super multas Civitates Dei fore dignum potestate, de Patruo tuo jam longaeva etate non minus, quam laboriosis Archiepiscopatus curis confecto, & degravari quarente, in tuos humeros Metropolis Comsa onus sustinere valentes, duxit transferendum. Onus quippe Angelicis humeris formidandum, sed, quia non sine prudentia miraculo demandatum tibi officium mirabiliter exples, maxime ob incredibilem gravitatis cum mansuetudine moderationem, leve tibi succedit. Et quoniam ea mente natura Te donavit, qua in curarum tanto oceano veluti obrutus, sed nunquam deficiens, ad omnia non minus intentus videris, ac si unicum, & facile negotium esset Archidiaecesis difficilis gubernatio. Hoc vero non vocibus, sed factis plane clarescet. Si disciplina scilicet Cleri spectetur; ad Religiosorum normam instituti videbuntur Ecclesiastici: ab omnium illecebrarum otio remoti: quotidianis psalmodiis frequentes: cultui divino assidui; & ut paucis comprehendam, aureum Cleri seculum advenisse credo. Hoc patefiat diligenti illa vigilantia, qua ex Neapolitanis Congregationibus, & novissime ex nostris quoque, non semel ac iterum, sed saepe saepius accitis missionibus, nihil intentatum relinquens ad populum in officio retinendum, credito gregi non intermisit se prospicis. Quid in corrigendis vitiorum scditate contaminatis vindex constans non agis? Nulli fuit adeo effrenata vecordia, nulli tanta temeritas, nulli tanta audacia insolentia, qui virgam virtutis tuae non sensisset. Et, ut ad omnem diurnitatem futuri temporis gregis tui custodiae provideres, nullis te nostris moventibus meritis, dignatus es, ut ad rudes populos erudiendos oppida excurramus, Domum nostra Congregationis Caput silere, uberrima census aureorum millium media donatione, maxima praeter subsidia, quae in dies ad adificii constructionem ministras, firmissime in posterum stabilitam curasti. Neque praetermittendam puto, quam adhibuisti consilii maturitatem in Sanctimonialium reformando monasterio, ubi, ut regularem observantiam temporum injuria prope collapsam, impensis multis de tuo suppeditatis, cum laudabili vita perfecte communi restaurares, ad eas concordas (opus sane difficile) in unam sententiam flectendas, laborasti, & perfecisti. Neque ulla aetas conticescet, sed linguis omnium loquetur templa omnia Diaecesis per Te vel restaurata, vel de novo erecta, vel tuis munificentissimis supellectilium largitionibus amplificata. At praeter ceteris Basilica Cathedralis honam sortita est fortunam, etenim ac si sensum haberet, indigne ferens jam talem affecta sponsum, incommam, & non pari decore ornatam se Tibi exhibere, cum terramotu in secundo tui Praesulatus anno funditus eversa esset, de infortuniis veluti gavisata est, spem certam concipiens decorius instauratam, fore surrecturam. Hoc certe in tuum nisi incidisset pectus, quemvis in tot, tantisque subitis calamitatibus, si non exanimasset, exterruisset saltem omnino: Tu autem validior in fortunis factus, impensarum contemtor, in conficiendo celerior, ad operam illico paratus, paucorum spatio annorum erexisti, ornasti, amplificasti. Praetermitto hic pretiosissimas Pontificatum vestes, argentea Altaris ornamenta, marmoreas aras, aeneas Procathedrales magnifice refe-

Etas, duo Archiepiscopia, quorum unum pene a fundamentis renovatum, alterum ad speciosorem modum redactum. Hoc unum, quod tuum proprium est, & in quo comites recusas decantandum aestimo, quod Trid. inhaerendo vestigiis in Seminarii curam ea solertia incumbis, uti Tibi totam administrationem reserves. Ducis enim nihil tibi gloriosius posse evenire, quam bonos adolescentes rite informatos ad munia Ecclesiastica obeunda institui. Et ut valetudinis eorum equa haberetur ratio, duo Seminarium, Hyemale unum Sanctimennae, quod penitus terramotu dirutum de novo magnis sumptibus erigi, & fines dilatari aggressus es; Aestivum alterum Sanctiandreae, quod ad formam quoque per Te est redactum, pro variis anni vicibus usui habes parata. Quid autem dicam de Seminarii disciplina? Si pietatem specto ut exemplar multis, imo omnibus praeponeam. Si scientiarum palestram, manifeste hoc convincit florentissimus Ministrorum delectus, quos cum aliquando desiderio tuo pares non facile in Diocesi reperiebas, ex omni parte, stipendiis maximis operam compensando, convocabas. Reliquus campus patens occurrit, nimirum profusa in pauperes liberalitas, de qua quidquid dici potest, nunquam factorum exaequabit conditionem. Satis ostendet, quam sis hoc in genere virtutis immoderatus, factum illud annorum superiorum, quod narratur, cum James Provincias multas grassaretur, & pauperes ad tuam Patris beneficentiam, ut tempestatibus vexati ad portum, concurrerent, ore tuo, ex praecordiis tamen eructatum, auditum fuit dici, venisse tempora, in quibus si pecunia, & quidquid annonae repositum erat, descicerent, argentum arte laboratum (copiam cuius non mediocrem de paterna domo tuo usui traduxisti) si venundari opus esset, ne pauperes destituerentur, libenter Te fuisse facturum. Quod certe rei exitus approbavit, cum singulis oppidis summam non modicam tunc temporis distribuendam quoquo locorum misisti, non, ut ex importunis pauperum molestiis Te eximeres, sed potius, ut alios arcesseres. Quapropter tibi gratulor, Comsa, quae nihil, quod invideas, habes, sed, quod invidearis, multum. Vere felix, quae Pastorem in sortem obtinuisti, cui non oves lanas portant, sed qui ovibus propemodum consumendus traditur. Quae cum ita sint, quis mei facti rationem non laudabit? Sed ad haec multa majora, & in me maxime praestantia accedunt, quae jure merito hoc opus tuae committendum fidei postulant. Namque sincera illa humanitatis tuae significationes, quibus Institutum nostrae Congregationis (cui immeritus praesum) bullis approbantibus mirifice amplexus es, omnem dubitationis suspicionem remouent, quin officium observantiae meae sis accepturus. Vel saltem haec spes me consulabitur, quod, si ita nullam tuorum in me meritorum potero assequi partem paribus, studio tamen tibi indulgendi ingrati vitio liberabor. Accipe ergo Illustriss. Praesul, si merito tuo non aequale donum, saltem officii mei fidele testimonium: Accipe, & tua, quae est animi benignitas, comperset, ad quod meae vires pervenire non possunt: expleatur tui animi magnitudo non iis, quae & Tu mereris, & ego velim, sed his quae praestandi facultas est: Noli donum respicere, sed meum; qui certe digna rependere cupio, donantis animum. Itaque Tu, qui non tam Tibi, quam aliis natus es, tuo patrocinio me, meosque foveas, humanitate complectaris, & ut incepisti protegas. Vale.